

DIALOGUS XXXV.

De Junone, Vesta, atque Diana Venatrice.

P U B L I U S .

TAbula tua VII. & ultima *Junoni* primas defert, I.
 quæ *Divam* incedit *Regina*, *Jovisque* est *Soror*, & *Conjux*: &
 in qua *Isidem* *Aegyptiam* nullo negotio reperio. *TULL.*
Recte. Quid enim *Juno*, nisi *Luna*, cui omnes *Calen-*
dæ Mensium, qui a *Luna* numerantur, i. e. omnes *Neomeniæ*
 consecrabantur? Ergo si *Luna* est *Isis*, etiam *Isis* est *Juno*, dum ful-
 gens in cælo concipitur. Quapropter & *Lucina* dicebatur, partus
 apud mulieres *Præses*, ubi proles in lucem eduntur: quod *Luna* nova
 juxta *Porphyrimum*, plena vero juxta *Plutarchum*, facillime fieri,
 veteres inconstanti sententia, quia nimirum lubrica, & fallente,
 adverterunt. *PUBL.* Primo in *Numo* tuo æreo medio *Faustina* Tab.VII.
 junioris, qui est apud me etiam argenteus, stat velata, & stola- N.I.
 ta *Dea*, cum *patera*, & *hasta*, adstante ad pedes *pavone*. *Pone:*
S. C. Circum: JUNO REGINA. Cujus nempe præconio *Fau-*
stina honorabatur.

TULL. Addas, *pavonem* firmate *caudæ suæ*, tam elegan- II.
 ter oculato, firmamentum stellis distinctum, in quo *Luna* reful-
 get, haud inepto symbolo innuere: præterquam quod pulchri-
 tudine palmam teneat, velut *Avium Regina*. Porro *Cl. Hardui-*
mus parem fere *Numum æris medii*, sed *Julia Severi*, pinxit, cum In Plin. suo Tab. IV. n. II. ad Tomi I. pa. 270.
 epigraphæ: *JUNONEM.* Ut vero *Nomina*, obliquo casu elata
 ferre nequit, more suo rursus singulariter sentit. Dum namque
 alium *Trajani Numum*, ubi est *Ædificium rotundum*, supra cu-
 jus portam scribitur: *SELINUNTEM*: traxisset ad *Narbonem*,
 tanquam *Murus*, & *Porta* ejus hic forent, dissectisque literis le-
 gif.

gisset : S. alva E. brodunensium L. ibertate I. mperator V. oluit N. arbonensis T. otius E. sse M. etropolim. Ita hic cogitavit , Sept. Severum etiam Ebrodunum excipi noluisse. Unde & vocem JUNONEM pariter discerptam ita legit : I. mperator V. oluit N. arbonem O. mnum N. arbonensium E. sse M. etropolim. Sed lucis , quam eidem Juno Lucina hic prætulit , fateor , me quidem nihil videre. Testimonium quippe tanti Privilegii nullum affert : *Narbonis* interim , aut *Ebroduni* , esto hic porta Urbis in priori Numo esset , adhæc Metropolitanæ dignitatis , his in Numis vel minimum vestigium reperio : nisi quod in epigraphis literæ N. & E. atque M. contineantur. Quid , si legerem ego in posteriore Numo : J. uliam V. eneramur N. ostrum O. mnum N. ovam E. sse M. atrem. Certe nec ab imagine , nec ab Augusta , quam dixere *Piam* , *Felicem* , abluiderem. Legerem etiam securus , cum reddere rationem nihil tenerer.

III.
Tab.VII,
N. II.

In Lexi-
co voce
T. λος.

IV.

PUBL. Alter Numus tuus multum singularis est. Exhibet enim in Templo , pluribus gradibus elato , & columnis quatuor fulto , Deam Lunæ insistentem extentis brachiis , velo a capite usque ad manus defluente , toto præterea corpore quasi cucullato. In gradibus ad lavam ante columnas modiolus cum spicis consistit. Epigraphe : ΣΑΜΙΩΝ : i. e. *Samiorum*. *TULL.* Numus hic *Gordiani Pii* apud *Patinum* p. 301. tam ipsius , quam doctissimi *Sequini* , sensu refert *Junonem Pronubam* habitu Nuptiali. *Samii* quippe anniversaria ejusdem Sacra ritu Nuptiarum celebrarunt : quoniam *Junonem* apud se natam , & *Jovinuptam* esse tuebantur. Præterea juxta *Suidam* , cum τέλος nuptias designet , Jupiter τέλαος , & Juno τέλεια , vulgo ut *Præsides Nuptiarum* colebantur. Quod autem hic *Junonem pronuba* insistant Lunæ , novo tibi documento sit , Lunam , & Junonem tantum differre , quantum Sol , & Apollo. De *Junone Moneta* jam doctus es a me in Exerc. Procem. Dial. XI. n. 2. Item de *Sospita* Dial. XVIII. n. 1. - 3. Sed & alia de hac Dea te monui Part. II. Di. XIII. n. 4. & 5. Apud *Angelatum* in diversorum Augustorum & Augustarum Numis , *Junonem* fert *elogia Conservatricis* , *Victricis* , *Martialis* , sedens cum ramusculo lauri , & hasta. *Spanhemius* I. p. 391. in argenteo *Pythiorum* Numo exhibet *Junonem Ammoniam* capite cornuto , & crinibus fluentibus

bus, ad imitationem scilicet *Jovis Hammonis* cornuti, ne conjux Marito inferior esset. Apud *D. Liebe* comparet *Juno Lacinia* G. N. p. 199. in argenteo parvo *Terineorum* Numo, elegantissimo crinium ornatu: cujus Templum, vicinis omnibus longe sanctissimum, apud *Crotonem Urbem* exstiterat. In argenteo medio *Neronis* Numo apud eundem p. 366. *Aversam* occupat Caput *Junonis* velatum, & fastigiatum, cum lemmate: *HPA APTEIA*: i. e. *Juno Argiva*. De cujus idolo apud *Argos* ita *Pausanias*: „ Deæ Signum „ in folio sedet eximia magnitudine, auro, & ebore fabricatum, „ Polycleti opus, corona capiti imposita: ea *Gratias*, & *Horas*, „ egregie factas habet. Dea manu altera *Punicum malum*, al- „ tera *Sceptrum* tenet. - - In *Sacris* ejus *Hecatombe*, id est „ ex centum bobus sacrificium fiebat. „

In Corin-
thiacis.

Demum *Cl. Harduinus* rursus attulit Numum argenteum, in quo Dea, cum *Luna* in capite, stat extensis brachiis, sub templo 4. columnarum, cum lemmate: *DEAE SEGETIAE*. In *Adversa* Caput est *Salominae*. Negat autem *Vir magnus*, hanc Deam esse capite lunato, qualem eam pinxit *Triflanus*. Adducit postea Locum hunc *S. Augustino*, quo ait: „ Sata frumenta, quam- „ diu sub terra essent, præpositam voluerunt habere Deam *Se-* „ *jam*: cum vero jam super terram essent & segetem facerent, Deam „ *Sejetiam*: frumentis vero collectis, atque reconditis, ut tuto ser- „ varentur, Deam *Tutelinam* præposuerunt. „ Eadem utique Dea hæc fuerat, Nominibus duntaxat pro vario rei tutandæ statu mutatis. Et quæ alia, nisi *Luna*? Si enim *Cererem* velis, hæc & *Proserpina*, eadem cum *Luna* fuere, inde & cum *Junone*.

V.
In Plin.
suo Tab.
IX. n. 4.
ad Tom.
II. p. 67.
De Civi-
tate Dei
L. IV.
cap. 8.

Nihilosecius tamen *Harduinus*, eo quod non *Sejetia*, sed *Segetia* scriptum sit, nullam Dearum hic agnoscit, quamvis discrete legatur *Deæ*, pro quo apud *Argelatum* ponitur *Divæ*, & licet *ge* pro *je* scribere pronissimum fuerit, cum hæc syllabæ eodem sæpe modo pronuncientur, nec Dea *Sejetia* fuerit alia, quam *Segetis* i. e. Granorum in aristis necdum demessis, Patrona. Fingit igitur sibi hac in imagine Genium *Eduæ* Civitatis, atque disruptam Epigraphen legit: *D. ecuriones E. duæ A. ugustæ E. dicto S. e-* *natus E. gnatio G. allieno E. gregiis T. riumphis I. nsignem A. rcum E. re-* *xere*. Quam egregie triumphaverit *Gallienus*, nescio, propter

VI.

cu-

Electa cuius desidiā feruntur XXX. Tiranni surrexisse : licet non ignorem, quanta cum contentione D. Abbas *Vallemontius* eum contra *Trebellium Pollionem*, Vitæ ipsius antiquum Scriptorem defendere admissus fuerit in Dissertat. de Numo, cuius epigraphe : *Gallienae Augustae* : respondente Cl. *Gallando*. Hoc autem scio, Eruditos Edicto Senatus Eduensis non teneri, ut in hoc Numo loco Templi Arcum triumphalem, & pro Dea Genium Eduæ, cuius nullum adest Signum, suspiciant.

VII.
Tab. VII.
N. III. &
IV.

PUBL. Ubiubi sentire liberum est absque ullius offensa, nemo reprehendi meretur, quamcunque in sententiam discesserit. Sequentes Numi tertius, quartusque, ambo mei sunt, æris medii. Prior *Julia Severi*, ubi Dea velata stat, cum patera, & hasta, addita ara ardente, cui fax accubat. Epigraphe : VESTA SANCTA. Alter in Adversa Caput habens *Augusti* radiatum, in Aversa sedentem Deam exhibet, cum spicis, ac face. Circum: IMP. T. itus VESP. *asianus* AUG. *ustus* REST. ituit, i. e. ad instaurandam denuo memoriam Caesaris Augusti hunc Numum recudi fecit. Hanc Deam pariter esse *Vestam*, docet me alter Numus meus argenteus *Faustinae* junioris, ubi circum Deam, cum spicis, & face longa stantem, diserte lego : VESTA. Hoc porro de Numine jam aliquid mihi dixisti Part. II. Dial. XXIV. n. I. itemque in hac Parte superius Dial. X. ubi de Vestalibus agebamus. **TULL.** Hic, ut in loco proprio, paulo pluribus de hac Dea erudiendus es.

VIII.

Ab omni retro Mundi ætate, interque omnes gentes, Ignis, nocturnas inter tenebras, & media inter frigora, Solem splendore pariter atque calore supplens maximam sui existimationem sustentavit. Cum primis ante cætera prope omnia dignus habitus est, qui undique ad cultum divinum, & ad omnia Sacra constanter adhiberetur, inque singulis aris arderet. Et ne profanus esset, quorumlibet fere populorum usu peculiaribus ritibus consecratus, in Templis quasi perpetuus custodiebatur. Contulit ad ejus opinionem, quod ubique verus ac naturalis præsto esset : cum reliqua cuncta, ut Sol ipse, Luna, Stellæ, Aër, Æther, hisque similia nobiliora Naturæ Corpora, nisi symbolis, & imaginibus proponi non possent. Quocirca seculis longis, etiam reg-

nante jam idololatria, & apud Cultores Ignis, nullum tamen ejusdem Simulacrum fiebat, sed ipse in aris exponebatur. Unde cecinit *Ovidius* :

Esse diu stultus *Vestae Simulacra* putavi :
 Mox didici, curvo nulla subesse tholo.
Ignis inextinctus Templo celatur in illo :
Effigiem nullam *Vesta*, nec *Ignis* habent.
 Nec tu aliud *Vestam*, quam *viram* intellige
flamman.

Factor.
 VI. v. 291
 sqq.

Vanissimi proinde Græci fuere, qui *Vestam* Deam finxerunt, Saturni, Rheæque, aut Opis filiam, Sororem Jovis, Neptuni Plutonis, Junonis, Cereris, Proserpinæ, Lunæ, Dianæ, scilicet omnium Dearum, quas ex *Iside* Aegyptia cerebro suo excluderant. Philosophi universæ hujus Genealogiæ capita, quasi totidem Proprietates unius Ignis exposuerunt : cum hic universis rerum omnium corporibus in Cælo, terra, & sub terra misceatur, vitali calore suo, discretis tamen gradibus, animans, movens, fovensque ac perficiens universa. Virginem prædicabant *Vestam*, quoniam Ignis in productione adjuvat omnia, ex se autem nihil penitus gignit. Romæ colebatur tanquam Dea Palatina, Custos Urbis, & Imperii, Tutrix Domus Augustæ. *Cicero* de illa : „ Ita-
 „ que in hac Dea, quæ est rerum intimarum, omnis & præca-
 „ tio, & sacrificatio, ut prima, sic & extrema est. „ Exstant
 Numi, ubi legas : *Vesta P. R. Quiritium*. In aliis apud *Argelatum* laudatur *Mater, Felix, Augusta, Aeterna*.

IX.

De Natu-
 ra Deor.
 II. 67.

PUBL. Quintus Numus, & Sextus, *Latoniam*, sive *Dianam Venatricem* exhibent mihi, duplici Nomine idem Numen. Anterior eam sistit, ut bigas per nubes agentem, præjunctis equis, prope nudam, flammeo super caput lunatum volante, cum epigraphe : **LUNA LUCIFERA**. Infra : **S. C.** Alter eam stantem exhibet, curte togatam, lunato capite, laevo cubito columnæ innixam, ac telum sustinentem, dextra Cervi adstantis caput pren-

X.

Tab. VII.
 N. V. &
 VI.

stantem. Lemma est: COL. *onia* JUL. *ia*. AUG. *usta* CORINTH. *ur*. Docet hæc utraque imago, Lunam denique ipsam fuisse Dianam. Quod idem jam dudum exposueras mihi Exerc. Procem. Dial. VI. n. 1. exponens mihi Numum Primæ Macedoniæ: Item Dial. IX. n. 10. Junonem quoque Lucinam in Diana mihi retegens.

XI. TULL. Utrumque præsentem Numum æris medii debeo Cl. Patino: quorum primus p. 230. est *Julia Severi*: alter *Hadriani* p. 155. Videre vero ibidem hanc Deam licet in compluribus aliis Numis mire variæ formæ. Ut in ære medio *M. Aurelii*, & *Coloniae Aroes Augustae Patrensis*, cursitantem cum hasta, & face, lunato capite, comite cane venatorio: ut adeo Hecatem triforem integre unica in imagine agnoscas. Inter *Sabinæ Tranquillinae*, Conjugis Gordiani Pii Numos Ephesiorum, cernitur aut pedes, vel biga Cervorum invec̄ta, immo & cervo inequitans, ubique cum arcu tenso, & sagittam novam de pharetra extrahens.

XII. PUBL. Si & mihi symbolum addere liceat, hanc Deam te-neo in *Hadriani* æreo Numo medio, stantem cum sagitta, & arcu remisso. Item in ære magno *Sabinæ* Conjugis, confidentem in sella cum spicis in dextra, & Cornuacopiæ, cui frugum loco parvulus Cervus insistit, addito lem-mate: *Augustae*. Rursum duobus in æris minimi Numulis *Gallieni*, ubi circa Cervum, item damulam, lego: DIANAË CONS. *ervatrici* AUG. *usti*. TULL. Apud *Argelatum* in Numis *Aemiliani*, ac *Postumi*, nisi sublesti sint ambo, legitur: DIANAË VICTR. *ici*. DIANAË REDUCI: imaginibus ab hætenus enarratis nihil diversum habentibus. Similium insolitorum præconiorum causa erat peculiaris devotio, & fiducia, in hoc aut illud imaginarium Numen, cui omne cuiuslibet beneficii genus commendabatur, & si obtigerit, in acceptis relatum est.

XIII. PUBL. Post hæc omnia, fateor enim, adhuc permirum est mihi, quomodo, cum Ephesii Dianam suam undique ut Matrem prodiderint *Magnam*, ideoque multimammiam finxerint: alii contra *Latoniam*, sive Dianam Venatricem, nihilominus *Virginem* comminisci sint ausi. TULL. Hoc te dubio D. *Pluche* sic expedit. Om-

Omniū prope Gentium, ait, vetustissimis temporibus, mos erat, Cap. II.
S. 10.
Sacra sua in Clivis Montium, arboribus confitorum, aut in Lucis amœnis agere, non alia de causa, nisi ut homines Arborum umbris protegerentur ab ardore solis, simulque virore frondium, & arbuſtorum recrearentur. Nihil utique hic noxæ. Exponebatur itaque Signum *Ifidis*, cum Luna in capite, propter Neome-
niam, qua Festum agebatur: & si Venatio adjungenda fuerit, additis quarundam ferarum sylvestrium figuris auctum fuit. Hæc Imago, succedente idololatria, nihilominus in Lucis exposita, peperit novam Deam, quæ dicebatur *Hammalchet Aseroth*, quasi *Regina Lucorum*, a *Malcheti*, i. e. Regina, & *Aseroth*, i. e. Lucus. Porro vox *Lucus*, affinis cum *Luce*, deinceps *Dianæ* peperit cognomen *Lucinæ*, Præsidis partus.

Nova interim *Regina Lucorum*, tanquam sylvarum amica, XIV.
cumque feris potius, quam hominibus habitans, *Virgo* conficta fuit: ut in Dearum, alias impurissimarum, choro aliquod saltem puritatis exemplum eluceret, essetque tandem, de qua dici posset juxta *Caëllum*:

Dianæ sumus in fide
Puellæ, & Pueri integri.

Epi-
grammat.
XXXIV.
v. 1.

PUBL. Facile Poëtis fuit, infinita tradere, ac velut statuere, quando, ratione solida omiſſa, merus color credulitati fatuæ suffecit. Felices nos, hac stolidi veterum sapientia dudum exemptos. Quam vero mirum, etiamnum fabulis tantum tribui, ut ad omnem prope ornatum sermonis, ac *Ædium*, & palatiorum perpetuo adhibeantur: qua certe ratione stultitia vetus, utinam non pariter improbitas, veluti quotidie restituitur. *TULL.* Inaniter plangis. Quamdiu enim paganorum Scripta, Numi, Anaglypha, & Marmora nostros animos rapiunt, fabulæ necessariæ sunt.